

NVPTIIS  
NOBILITA  
TE ET PIETATE

ORNATI IUVENIS D. MA-  
ximiliani Hostialek à Javvorziec Za-  
tecem Sponsi: eiusq; dilectiss: & ve-  
nustiss: Sponsæ virginis Katharinæ  
Filix clariss: viri, D. Pauli Zli-  
scinij quondam Senatoris  
Reipub: Zatecensis.  
Gratulationes.



Pragæ, Imprimebat Iohannes Schuman.  
Anno 1591.








Carmen illigatum modis musicis cum 6 vocibus.

**L**ata dies oritur, faveant pia numina sponſis,  
 Qui cupiunt caſti fœdus inire tori.  
 Maxmilianus eo caſta & Catharina Zacenſes  
 Fœdere junguntur, ſic ſtat vente DEO  
 Vivite fœlices figat concordia ſedem  
 Vos inter, nec non par & amica fides.  
 Sic DEVS ornabit pulchra vos prole parentes,  
 Et faciet fauſto ſydere cuncta cadant.

P. P. à Gr. P.



1997 KK 69  
 AKC. 16/37

**V**ere novo tellus reparatis viribus aucta,  
 Floribus obliquos pingit amœna ſinus.  
 Vineâ protrudit gemmas: fert gramina campus:  
 Purpureos flores fertilis arbor habet.  
 Omnia depoſito vernant ſqualore viciffim,  
 Et loca mellitus ſingula replet odor.  
 Ipſe ſuo Phœbus procedit clarior ortu:  
 Lætior undoſis. it pater OEgra vadis.  
 Signatura ſuas exercet provida vires:  
 Et grata exornat réſq; hominésq; vice.  
 Firmari ulterius res non vult: obvia cunctis  
 Eſt ſatis, atq; fidem tu nove ſpoſe facis.  
 Sponſe tui generis decus, & ſpes ampla tuorum:  
 O quondam patrio jura dature foro.  
 Teſtis es, atq; novos miraris protinus ignes,  
 Cum tibi jucundo pectus amore calet.  
 Ignea fax populat ſenſus, eſt flamma medullas,  
 Et de ſuccenſa luce coruſcat amor.  
 O dulces flammæ, ô gratos pectoris ignes,  
 Blandula quos virgo ſuſcitât atq; fouet.  
 Illa tibi ſtimulos acres, flammæſq; miniſtrat,  
 Illa tibi tanti cauſa caloris adeſt.  
 Quod ſol eſt terris, tibi virgo: inflammat uterq;  
 Ille calore ſolum, virgo: favore virum.  
 Sol radijs, ſparſa & totum ſuper æthera luce:  
 Virgo fide, obſequio, moribus, alloquio.  
 Agnoſce



Agnosce ergo tuum solem, flammâsq; recentes,  
MAXMILIANE intus quas tua virgo movet.  
Nosce fidem, & castos mores, vitâmq; probatam:  
Tâmq; decens toto pectore munus ama.  
Verùm ut amare queas, Pylij vel Nestoris annos  
Exple: aut si poscunt fata quid ulterius.  
Interea ut tellus Phæbi tepesacta calore  
Fundit opes, fructus datq; subinde novos:  
Sic bene vos foti flammis & pectoris igne,  
Natos ac natus edite lege tori.

M. Ioannes Pleuca R. Hradec.

PSALMVS 128.

**F**elix ille animi cuius per pectora Patris  
Æterni timor insinuat, quem devius error  
A vero versis retrô non flexit habenis.  
Felix, namq; illi, numen Dea cæca, volucrem  
Cujus crebra rotam ventorum flamina volvunt,  
Cuncta serenato ridebit tempora vultu:  
Non frustrâ duro terras invertet aratro,  
Inq; labore manus versans, extendet in annum  
Non frustrâ curas, Cæceris sed munera mentas  
Atq; cados Bachi superabit munere, dives:  
Quod si fortè gravi mentem mærore peresus  
Fata trahet, fractus non æquo pectora calu,  
Avertet curas conjux animolq; levabit.

Quæ

Quæ (veluti sese per purum palmes ad auras  
Lætus agit, dum prima adolescit frondibus ætas  
Et teretes latè ramorum fundit honores)  
Natorum, læcunda hilarabit prole penates  
Qui mensas stipent, confertq; agmine cingant.  
Cui trepidis hæret Domini reverentia fibris  
Hæc inter vivet felici stamine vitam  
Vivax vitales dum ducat spiritus haustus:  
Sic cælo justis affatim depluet imber  
Donorum, & Solymæ crescentia mænia cernes  
Se tolli, quisquis numen veneraris, amasq;,  
Aspiciasq; tuo productum germine germen  
Et natos natorum & qui nascentur ab illis  
Ilacidâsq; sacro lætantes munere pacis,  
Dum tellus frondes, dum cælum sidera pascet.

VOTVM NVMERIS HARMONICIS  
inclusum à P. S. G.

**C**um Sponsâ Sponsus Katharinâ Maxmilianus  
Felicem felix, jungat uterq; torum,  
Christe veni firmo firma pia sædera nexu  
Ut binos idem te duce stringat amor:  
Fortunati ambo, vitam felicibus astris  
Turturis & magnæ vivite Desphobes  
Ut flos quem tenera tellus uligine trudit  
Crescite dum cælo vos ferat una dies:  
M. G. C.



ALIVD.

Nimpha parens florum, quæ nunc pro tēpore veris,  
 Servandis Zaca floribus, Vrbe vacas.  
 Huc ades, ut tenero componas pollice flores,  
 Et nectas spon læ mollia ferta nouæ.  
 Interea sed ego nostro de pectore promam,  
 Quæ sponso cedant carmina pauca novo,  
 Singula bina DEVS specie conjunxit in omni  
 Corpora, quæ terris fluminibûsq; vides.  
 Nempe simul viuant se mutuo amore iuventûq;  
 Vnum sint uno fœmina masq; pari.  
 Alter in alterius concordî flagret amore,  
 Et foveat fœtum, quem dedit iste, suum.  
 Res ea sic non mira satis, quam cætera præter,  
 Solus homo, quod sit factus imago DEI.  
 Solus & æthereas, migrent cum cætera, sedes  
 Incolat; & terris imperitetq; mari.  
 Sic visum superis, ut sit qui corde vigentem  
 Et referat pulchro laudet & ore DE VM.  
 Quove magis mirêre: DEVS mirabile fecit.  
 Conjugium, nulli par novitate rej.  
 Quippè hominis costam latuit quæ corpore solvit,  
 Et sociam tanti Muneris. esse iubet.  
 Qualis & est & erit curarum dulce levamen,  
 Maxmiliane tibi quæ Catharina, datur.  
 Spartanæ referens Helenæ formamq; decusq;  
 Insignisq; comis, fronte pudica, genis.

Moribus est exulta pijs oriundaq; claro,  
 Stemmata, viuaci digna virago toro  
 Quam toties votis ardentibus antè petebas,  
 Nunc demum voti compos, & ipsa, tui est.  
 Illa tibi placidumq; DEO præstabit honorem,  
 Ornabitq; tuam prole virente domum.  
 State pares animi, castiq; incedite castè,  
 Sic precibus vestris annuet ipse DEVS.  
 Vnus amor vobis, eadem domus, una voluptas  
 Nestoreos duret Mathusalémq; dies;  
 Affluat ambobus largis fortuna quadrigis,  
 Hoc ego: tu capiti ferta parata mové.  
 Petrus Pisceni à Granichfeld Prahennus.

ALIVD.

Maximil. Semper perplacco tibi:  
 Nec quisquam patrius me nisi, candidam  
 Cervicem juvenis premit.  
 Heu quovis vigeo, rege beatior.  
 Catharina. Æquè non alium magis  
 Ardesco, juvenis nemóq; præ te erit.  
 Quamvis nomine splendidus,  
 Quamvis & proavis dotéque nobilis.  
 Maximil. Mî Catharina animum subit  
 Post tot stare moras fœdere conjugî,  
 Pro te bis cupiam mori;  
 Te servent animum fata superstitem



Cathar. Me torres scio mutuo:  
 Sanè icisse velim connubium sacrum.  
 Pro te ter patiar mori:  
 At parcant animo fata tibi meo.  
 Æstas læta venit: canor  
 Auditur varius saltibus oscinum:  
 Pratum graminibus nitet,  
 Et tonsis redeunt arboribus comæ.  
 Tempus; cerno, decens monet  
 Hoc festum peragi pergenialiter,  
 Plaudatis modó vos meæ  
 Mellitæ Veneres: sarta paro MEO.  
 Et vos heu pariles mei,  
 Sublatis manibus dicite, hos holsa.  
 Plantis carpite cespitem  
 Lunæ circuitu, plaudite Io Io.  
 Quanquam pulchrior effigie  
 Qui sit: Therisitici tu soboles patris:  
 Omnes post habeo tibi.  
 Tecum vivere amo, tecum obeo libens.  
 Venceslaus Zabonius à Vissetin  
 Raudnicenus.



ENCOMIA  
 ET  
 VOTA NVPTI-  
 IS HVMANISSIMI ET  
 DOCTISSIMI VIRI D. M. IOACHIMI  
 GOLTZII, Rectoris Scholæ Iglauensis fidelissimi,  
 Secundum Sponsi: Et lectissimæ atq; pudicissimæ  
 puellæ ELIZABETHÆ, Iohannis Vrsini viri  
 clarissimi, Rectoris Scholæ Mezri-  
 censis, filiæ Sponsæ.

Scripta ab amicis,

ANNO: 1591. Mense Iulio.



P R A G A E,  
 Excudebat Georgius Nigrinus.